

18 *OBSERVAT. SIDEREAE*

ex parte scilicet Orientali duæ aderant Stellæ, vna vero Occasû versus. Orientalior atq; Occidentalis, reliqua paulo maiores apparebant: de distantia inter ipsas & Iouem minime sollicitus fui; fixæ n. vti diximus primo creditæ fuerunt; cum autem die 8. nescio quo Fato ductus, ad inspectionem eandem reuersus essem, longe aliam constitutionem reperi: erant n. tres Stellulæ occidentales omnes a Ioue, atq; inter se quam superiori nocte viciniore, paribusq; interstitiis mutuo disseparatæ, veluti apposita præ se fert delineatio. Hic licet ad mutuam Stellarum appropinquationem minime cogitationem appulisset, exitare tamen

Ori.



Occ.

cepit, quoniam pacto Iupiter ab omnibus prædictis fixis posset orientalis reperiri, cum a binis ex illis pridie occidentalis fuisset: ac proinde veritus sum ne forte secus a computo astronomico, directus foret, ac propterea motu proprio stellas illas anteuertisset: quapropter maximo cû desiderio sequentem expectaui noctem; verum a spe frustratus fui, nubibus n. vndiquaq; obductum fuit cælum.

At die 10. apparuerunt Stellæ in eiusmodi ad Iouem positu: duæ n. tantum, & orientales ambæ

Ori.



Occ.

aderant, 3. vt opinatus fui, sub Ioue latitante. Erant pariter veluti antea in eadem recta cû Ioue, ac iuxta Zodiaci longitudinem admissim locatæ. Hæc cum vidissem, cumq; mutationes conformiles in Ioue nulla ratione reponi posse intelligerem